



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

Quaestio 130. Quid de Conservatoribus Franciæ in regno statutum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

poterunt restringi ad causa, primæ instantiæ, sed comprehendunt etiam causas appellationum; in quibus eadem consuetudo reperitur.

33 Quibus accedit præscriptio, quæ cum consuetudine simbolisat, præscriptio inquam qua ab omni ævo postposita, Came: à Spirensi à iudicibus Ecclesiasticis ad superiores Ecclesiasticos appellari solitum est. Ad quam quidem præscriptionem inducendam licet nonnulli existimant scientiam Imperatoris adversus quem præscribitur, necessariam esse, Bald. cap. 1. num. 3. qua sine regalia Rom. l. 1. §. denique num. inferioris, Barb. l. si publicanus §. in omnibus ff. de public. Bald. de præscript. §. 2. par. 3. princ. quaest. 3. num. 3. DD. cap. cum contingat de foro comp. Imola. d. l. 1. §. denique cons. nunquid civitates. Inò vero scientiam Imperatoris in præscriptione temporis immemorialis, qualis est hoc in ensu, præsumi, plures alii optimæ notæ Doctores involuerunt, Anton. Gabr. Com. conc. tu. de præscript. concl. 1. num. 62. Curt. in cons. 118. num. 12. l. si imperium num. 21. ff. de juris dict. om. iud. probaturque abunde hæc Imperatoris scientia variis ex que simonias, quas Imperatori olim Imperii proceres fecerunt ob evocationes subditorum in prima instantia ad curiam Romanam, alto tunc silentio involventes permissas nitataque appellationes civilibus in causis ab Ecclesiasticis iudicibus ad iudices alios Ecclesiasticos, uti plenius videre est apud Melchiorrem Goldastum in collectione constitutionum Imperialium in gravaminibus in curia Nurembergensi, Anno 1522. editis cap. 5. fol. 459.

QUÆSTIO CXXX.

Quid hac in exemptionum materia in regno Franciæ observetur.

VARIA ex sacra politia & monastico Renati Chopini, nec non Papone alii, que Gallix scriptoribus quæ in Francia animadversione hac in materia digna sunt adfertri possent. hoc in loco occurrit L. Bochelhus qui in libro 5. tit. 16. de decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, folio 866. hæc quæ sequuntur, scripto reliquit.

DE EXEMPTIONIBUS

TIT. XVI.

EX SYNOD. TYRON. 1583.

CAP. I.

NE defectus & excessus aliaque crimina quae per Ecclesiasticos in magnum totius cleri scandalum licentiosius committuntur, praetextu exemptionum, per nonnulla Capitula, Abbates, monasteria, ordines etiam mendicantium, conventus & alia loca tam saecularium quam regularium, praetensam in multarum animarum periculum impunita remaneant, quarum intuitu quamplurimis flagitiosis ac gravibus obnoxios criminibus addicta loca, tanquam ad aliquod impunitatis asyllum confugere plus satis compertum est; statuimus, ut in quibuscumque juribus, exemptionibus, immunitatibus & privilegiis non obstantibus ab Episcopis ex auctoritate, quam oecumenicorum conciliorum canones illis concedunt, contra delinquentes procedatur, servata eadem forma, quae in iisdem conciliis praescribitur, quoties contra regulares exemptos aut aliquem de capitulis ipsis Episcopis penitus non subiectis fuerit procedendum.

Si qui vero ab una Ecclesia in aliam aut locum quem praetendunt exemptionem suis criminibus impuniti per fraudem aut iudicii declinandi gratia migrasse compertantur, nihilominus ab ordinario causa cognita juxta Canonicas sanctiones puniri volumus, in cujus dioecesi fuerint crimina commissa, dictis juribus exemptionibus, immunitatibus & privilegiis quibuscumque non obstantibus. Quicumque vero taliter fugitivum Episcopo suo requirenti non reddiderit, sed defensare praesumpserit, Ecclesiae communionem priveretur.

EX CONSIL. BYRDIG.

CAP. II.

Quicumque monasteria nec Episcopis subiecta sunt, nec ab ullis generalibus capitulis pendent, nec designatos ordinis sui visitatores habent, sed proxime ad sedis Apostolicae protectionem & gubernationem referuntur.

Z z 2

seruntur, exactis ad summum sex mensibus post harum constitutionum promulgationem comitia seu congregationes sui ordinis habere, & ad eas venire tenerentur, ut ea ibi statuant inter se ac decernant, quæ ad instaurandam atque conservandam religiosam disciplinam deinceps observari curabunt, eaque de causa certos conservatores designent, quorum spectata sit sanctitas & eis id munus communi suffragi committant. Alioquin eorum negligentia à nobis coepiscopis nostris pro sua cuiusque parte providebitur.

EX SYNOD. TYRON. 1583.

CAP. III.

Decretum Concilii Viennensis sub Clemente V. editi cupiens hæc synodus in usum revocare, ejusdem Concilii constitutionibus adherendo Archiepiscopo licere decernit & declarat per quævis loca exempta suæ Provinciæ facienti transitum, aut ad ea forsitan declinanti, ut crucem antelabere portari faciat, benedicat populo, divina officia privatim vel publice audiat & ea etiam in Pontificalibus celebret & faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari (quovis privilegio contrario non obstante) simili modo Episcopo, ut in locis ejusdem suæ Diocesis possit populo benedicere, audire divina officia, & ea etiam celebrare & in sua præsentia celebrari facere sic tamen, quod prætextu concessionis hujusmodi & in locis ipsis exemptis vel circa hoc privilegiatis nullam aliam jurisdictionem idem Archiepiscopus vel Episcopus exerceat, nec personis exemptis vel privilegiatis molestiam inferat vel gravamen, nullumque exemptioni vel privilegiis eorumdem aliud præjudicium generetur, nec ipsis Archiepiscopo vel Episcopo jus aliud quomodolibet acquiretur.

EX 10. GOLLO. QUÆST. 307.

CAP. IV.

Per Arrestum anno 1393. fuerunt redditi custodiendi frater Petrus Salebron, Petrus Vade Priori Franciæ prisonarii existentes in castello, non Episcopo Parisiensi, nec Episcopo Podiensi, quamvis in suo Episcopatu fuissent. Quia notoriè exempti eo quia ipse persequeretur ut particeps delictorum, propter quod dicti fratres erant prisonarii.

EX CONCIL. APUD CASTRUM CONTERII. 1235.

CAP. V.

NE sub falso exemptionis prætextu quisquam jurisdictionem ordinariam illudere possit, præsentis Concilii auctoritate statuimus, ut si qui coram ordinariis conventi iudicibus se exemptos allegent, de quorum privilegiis dubitatur, privilegium exemptionis suæ exhibeant, Quod si facere noluerint, pro exemptis nullatenus habeantur.

ARMERICVS PICTAV. EPISC. IN SYNOD. 1367.

CAP. VI.

Item cum Capellani seu Presbyteri exempti seu prætextu exemptionis & de ipsis confidentes plures excessus, injurias, contumelias committere non formident, prout experientia nos edocet, inhibemus sub pœna excommunicationis omnibus & singulis.

EX SYNOD. ECCLES. RHEM.

CAP. VII.

Item causas sive lites proprias suorum hominum liberorum eidem exempti suo nomine aut actores vel defensores non assumant, alioquin &c.

EX HISDEM SYNODALIB.

CAP. VIII.

Item exempti ad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatos vel nominatim interdictos non admittant, alioquin ingressum, &c.

CHARLES IX. AVX. ESTATS D'ORLEANS, 1560. ART. II.

CAP. IX.

Tous Abbez, Abbeses, Prieurs, Prieures non estans chefs d'ordre ensemble tous chanoines & chapitres tant seculiers que reguliers & des Eglises.

Eglises cathedrales ou collegiales seront indifferemment subjects à l'archevêque diocésain sans qu'ils puissent s'ayder d'aucun privilege d'exemption pour le regard de la vilitation & punition des crimes demeuront toutesfois aux Abbez & Abbeses Prieurs & Prieures la vilitation & correction accoustumee sur leurs religieux ou Religieuses par faute d'observance de leur regle.

EX CONCIL. THOLOSAN. 1599.

CAP. X.

Episcoporum jurisdictioni non mediocri impedimentum exemptis profanis vitæ occasionem Christianis non vulgare scandalum affert, laxum quam par sit acceptæ exemptiones consueverunt. Hunc igitur in exemptionum cognitione Episcopi modum adhibeant, & ut illas ad unguem observent, & ultra quam loquantur minime.

EX EOD. CONCIL.

CAP. XI.

Quæ à metropolitano, suffraganeis aut eorum vicariis & officialibus censuræ, quæ interdicta promulgabuntur, ea Regulares etiam exempti in eorum Ecclesiis ita, statuente Tridentino Concilio publicè proponant & servent.

EX EOD. CONCIL.

CAP. XII.

Qui dies festi in metropolitana suffraganeorumve diœcesi servandi indicentur, eos quicumque tandem exempti fuerint, quæ jussum est veneratione celebrant, quemadmodum Tridentino Concilii decreto cavetur.

EX EOD. CONCIL.

CAP. XIII.

Qui ad publicas processiones exempti clerici monachive vocabuntur, ad eas accedant, qui recusatint, nisi fuerint, qui strictiori septo conclusi perpetuo

peruo vivunt, omnibus juris remediis ad id præstandum Tridentini Concilii auctoritate compellantur.

EX EOD. CONCIL.

CAP. XIV.

Quicumque prælatus etiam Episcopus, in aliena diœcesi Ecclesiam quamque ratione exemptam imò & spirituales jurisdictionem seculari possessione memoriamque excedente tempore habendum obtinet, is aut ad sacrum oleum conficiendum, aut ad Chriftina ministrandum, ad Ecclesiam conferendam, aut denique ad alia quævis obeunda Pontificis munia alienum in eam Episcopum non inducat, neque ipse ea officia munerave absque diœcesani Episcopi expressa licentia ministrer, nisi aliter exemptionis privilegio caveatur.

EX EOD. CONCIL.

CAP. XV.

Quicumque Abbas exemptus licet benedictus & presbyter fuerit, is ex Tridentini Concilii decretis nulli omnino, qui regularis sibi subditus professusque non sit, aut primam tonsuram, aut minores quatuor ordines conferat, aut dimissorias litteras concedat.

EX SYNOD. ECCLESIAE RHEMENSIS.

CAP. XVI.

IN causa decimarum possunt religiosi exempti trahi coram ordinario, nisi de rebus exemptis agatur, alioquin, &c.



QV

QUÆSTIO CXXXI.

Quid de conservatoribus Franciæ in regno statutum sit.

Et ibidem L. Bochartus eodem in libro decretorum Ecclesiæ Gallicanæ hæc quæ sequuntur scripsisse invenitur iii. de conservatoribus.

Non possunt autoritate Apostolica dari conservatores nisi Episcopi, Abbates vel habentes dignitates aut personatus in cathedralibus vel collegiatis Ecclesiis, nec extra civitatem vel Dioccesim in quibus sunt deputati, nec aliter nisi in civitatibus & locis insignibus, ubi possit haberi copia peritorum & infra unam dioccesim à fine diocesis rei procedere possunt, vices etiam suas committere non possunt, nisi quantum ad citationes & sententiarum denunciations & non nisi in locis, ubi sunt deputati & personis superius expressis, & quicquid contra hoc fecerit, ipso jure sunt nulla, & nos denunciavimus nulla esse.

